S.D. Reverende Dn. doctor, oro Deum aeternum
patrem domini nostri Jesu Christi, ut et te in
ista statione adversus omnia pericula tueatur,
et efficiat te organum salutare Ecclesiae, ut
labores et universum ministerium tuum serviat
ad propagationem et illustrationem veritatis,
meque in hoc difficilimo munere clementer
regat, doceat, et roboret, ut per hanc
balbutientem et infantilem linguam et tenuem
meas vires corpusculi mei aliquid offici
possit, quod et Deo gratum sit, et ad
aedificationem et plantationem suae Ecclesiae
prosit. Nam profecto in me nihil est quod
[illegible] sperando sufficiat [illegible] o aut
tuas et aliorum [illegible] preces mihi auxilium
divinum impetraturas, quo confirmatus
[illegible] vero [illegible] veritatis defensioni.
Quod autem vereris, ne mihi tuae literae
occupato molestae sint, adeo sollicitum te hac
de re esse nolim, ut ultro etiam summo te
orem opere, ut mihi in his occupationibus
et contentionibus, tuarum consolationum
et commonefactionum subsidio praesto sis
et recreationem afferas. Hoc est quod
moneas, ne me istius vicinij tui, mei
aliquando condiscipulis tuae a veritatis
studio abducat, qui semel tantum ad
me scripsit, non obscure significans, sibi
Westphali sententiam ita probari, ut eam
non depositurus sit, quem quidem sinens
sua opinione frui, irritare iusta repre-
hensione in his meis occupationibus nolui,
incitaturum alios plures contra me, ut hoc

1559 Jul. 1.
1. Jun.

1560. Jan. 15

genus hominum talib. artibus pugnare
solet. Mihi vero etiam Ecclesiae meae ra...
habenda est, quam turbari eiusmodi
rixis graue foret. Deo causam universam
committo, cum ardenter oras quotidie,
ut veritatem ipse patefaciat, defendat
et stabiliat. M. Victorinus et M. Andr...
pastor Ienensis Ecclesiae optime de illa Eccle-
sia et Academia meriti, adhuc diversis in
locis detinentur captivi, eo quod Flacij
et manipularium ipsius libro subscribere
noluerunt, in quo inter caetera et hoc exigi-
tur, ut credatur, verum et essentiale corpus
sub vel cum vel in pane non tantum fide, sed
etiam ore percipi ab indignis pariter et
dignis. Dominus clementer illis adsit, ipsosque
consoletur et confirmet et ad utilitatem
Ecclesiae liberet. Bene ac feliciter vale,
et saluta tuam coniugem, et has literas quaeso
trade Bibliopolae Danemanno. Datae
calendis Junij 1559 P. E. K.

Reverendo viro
pietate, erudi-
tione ac virtu-
te praestanti
Dno Doctori
Alberto Harden-
bergio docenti
Evangelium in
Ecclesia Bremensi
suo fratri.